

Prou. 21. c in Salomone scriptum est: Ciuitates firmas ascendit
A sapiens, & destruxit munitiones earum. Quicquid enim hereticorum & sapientie secularis contrariumque dogmatum arte componitur, uir ecclesiasticus destruit, & suis docet pedibus esse subiectum.

¶ Et erit in die illa, &c.)

Hoc quod dicitur, memoriale coram domino: & super faciem terrae, & sicut tempus hominis, in Hebraico non habetur, sed in Graeco additum est. Septuaginta autem annis Tyrus quondam coangustata solimitur: ut expleto solitudinis tempore, carmen quondam meretricis uertat in laudes dei: assumensque citharam omnes chordas habeat concinentes: ut postquam bene concinuerit & multa cantauerit: fiat eius apud deum memoria, quae propter fornicationem obliuioni tradita erat, & restitatur in pristinum statum, habeatque

B diuitias regnorum totius orbis: & mercedes laboris illius nequaquam Tyrii congregentur: sed his qui habitant in conspectu domini: comedantque & bibant, & impleantur omnibus bonis, quae in conuiuio laetitiam cunctorum fuerint labore collata. Sidonem ac Tyrum sermo diuinus ad penitentiam cohortatur, & labores eius, atque mercedes domino sanctificandas esse promittit. Quis non peccatorum spem salutis habeat: si tam bene cecinerit, & uniuerse chordae uirtutum, quae quondam fuerant relaxatae in laudes domini componantur? Legimus in quadragesimo quarto psalmo, qui specialiter ad conjunctionem sponsi & sponsae, id est, ad deum saluatorem & ecclesiae pertinet sacramenta, dici inter cetera: Filia Tyri in muneribus, faciem tuam precabuntur diuites plebis. Et ipse rursus sponsus ad sponsam Tyriam loquitur: Audi filia & uide & inclina aurem tuam: & obliuiscere populi tui, & domus patris tui: quia concupiscet rex decorem tuum. Vnde & in descriptione pulchritudinis eius inferitur: Assitit regina a dextris tuis, in uestitu deaurato, circumdata uarietate. Et iterum: Omnis gloria filiae regis intrinsecus. Si autem

concupiuit rex pulchritudinem Tyriae penitentis, & C
 uariarum habentis ornamenta uirtutum: quanto magis merces eius, & negotiatio, non in Tyro permanentium, sed eorum erit qui habitant in conspectu domini? Qui postquam egerint penitentiam, audient a

domino saluatore: Come *Canti. 5. a*

dite amici mei & bibite, & inebriamini charissimi. Quid sit autem comedere & bibere & saturari omnium collatione uirtutum, fidelis lector intelligit. Septuaginta annis desolatum fuisse templum: & Hieremias & Daniel & Zacharias docent. Et in Ezechiele de Sodoma legimus, quod restitatur in antiquum: & de Aegypto, quod post desolationem terrae Aegypti & ariditatem septem minimum, ueterem recipiat ubertatem. Septenarius autem & septuagesimus numerus, qui uel de singulis diebus, uel de septem

perfectam significat & consummatam penitentiam, ut iuste Tyrus expleto penitentiae tempore in antiquum redeat statum. De hac arbitror meretrice, & illud in D
 Prouerbis Salomonis mystico sermone signari. Ne *Prou. 5. a*
 attendas pessimam mulierem: Mel enim distillat de *Sec. lxx.*
 labiis mulieris meretricis, quod ad breue impinguat fauces tuas, & postea amarius felle reperies. Per fenestram enim domus suae in plateas prospicit: quia *Math. 7. b*
 lata est & spaciosa uia, quae ducit ad mortem: & quemcunque insipientem uiderit iuuenem: (sapientes quippe tentare non audent) & transire iuxta angulos qui rectam lineam perdidit: loquitur ei in tenebris & in caligine: & sub specie uoluptatum quasi uictimam ducit ad mortem. Haec si conuersa fuerit, & bene cecinerit: & perfecta penitentiae annorum tempus impleuerit: comedet & bibet, & saturabitur: Audiatur *Natianus & tacet.*

Commentarii Septimi in Esaiam prophetam finis.